

Bernatibus certis conditionibus foedus inierat, ea lege, nisi, ut per Rhätos iter in fines Reipublicæ panderetur, irritum foret. Cumque quatuor Helvetiorum millia ab iis civitatibus impetrasset, eundem Barbadicum in Rhätos proficisci iussit, qui a trium foederum pagis transitum peteret; ni id obtinere posset, de veteri innovanda societate, opimis adjectis præmiis, ageret. Verum cum eo accessisset, quamplurimis objectis impedimentis, conflictabatur. Plerique præteritis successibus perterriti, Hispanorum invidiam verebantur, qui superioribus annis ob foedus cum Republica iktum, variis illos incommodis affecerant; Fuentanam munitionem objecerant; exportandi ex Insubribus commæatus facultatem interdixerant: ingentibus quoque opibus foedus instrui, & cum pecuniam tum auxilia a Republica flagitabant. Quodque magis obstare videbatur, Galli æque ac Hispani oppugnantes, omnibus machinis adhibitis, transitum & confœderationem impedire conabantur. Ita enim ea tempestate natura, institutis, genio, adversæ hæ nationes simul coierant, non sine regii stemmatis aliorumque procerum querelis, qui pessimo exemplo veteres Gallorum amicos oppugnari ac desereri æquo animo pati non possent.

Hoc pacto inter Rhätos res fluctuabant. Cum altera ex parte omnia ad bellum ab Allobroge atque Mendoza compararentur. Is autem Italorum Principum auxiliares copias enixe flagitabat; atque ejusmodi erat Italiæ status, ut vertigine veluti correpti, cuncti in proprium atque in commune exitium ruerent. Nam Franciscus Maria Urbini Dux tria peditum millia, Ranutius Parmæ ac Placentiæ Dux bina, Lucenses tria millia misere. Cosmus Magnus Hetruriæ Dux, Philippi beneficio Senas obtinens, qui ad Insubrum tuitionem quatur peditum millia præstare debebat, licet cunctatione usus fuisset, quod Hispanorum in Italia incrementa minime sibi probarentur, attamen duo millia attribuit, ea conditione, ut ex Mediolani ditionibus non exirent; reliquum vero, numerata pecunia, sibi assignari gubernator postulabat; cumque ex Hispania per Regis literas ad eam persolvendam Dux impelleretur, a Mendoza, quoad rationes suas Regi significaret, superfederi petebat. Mutinæ Dux tantum, licet Regi obno-

xius,

*Hispanorum exercitus.*